OFFICIA PROPRIA
AD USUM
INSIGNIS ECCLESIÆ

MELDENSIS

de mandato Ill. et RR. DD.
Iacobi Eugenii Ludovici MENAGER
Episcopi Meldensis
edita

PARISIIS - TORNACI - ROMÆ - NEO EBORACI

DESCLÉE & SOCII

Typis societatis S. Ioannis Evangelistæ

S. Sedis Apostolicæ et S. Rituum Congregationis typographi

Iacobus MENAGER

Miseratione divina ac Sanctæ Sedis
Apostolicæ gratia
Episcopus Meldensis.

Cum Proprium ad usum Diœcesis Meldensis redactum iuxta rubricarum codicem per *Motu proprio* Ioannis Papæ XXIII « Rubricarum instructum » approbatum, et iuxta Instructionem S.R.C. diei 14 mensis februarii anno 1961, ab eadem S.R.C. revisum, emendatum et approbatum fuerit, et nobis constet huius Proprii editionem oportere, illud evulgandi licentiam dedimus, prout per præsentes licentiam damus. Cuius impressionem commisimus Moderatoribus Societatis S. Ioannis Evangelistæ in civitate Tornacensi.

Datum Meldis, sub signo nostro Episcopali sigilloque nostro ac Secretarii Episcopatus nostri subscriptione, die 11° mensis septembris 1965.

✠ Iacobus MENAGER
Episcopus Meldensis

L. ✠ S.

De mandato Ill. ac RR. Episcopi Meldensis.
H. GUIDOUX, Secretarius.

CALENDARIUM PERPETUUM

IN USUM
DIŒCESIS MELDENSIS
A SACRA RITUUM CONGREGATIONE
APPROBATUM
die 3 mense octobri anno 1964

Omnia ut in Calendario universali, exceptis tantummodo quæ sequuntur:

MENSE IANUARIO

2 Ss. Aspasii et Leonii Conf., Commemoratio.
3 S. Genovefæ Virg., III classis.
16 Comm. S. Fursæi Abbatis.
30 S. Bathildis Reginæ Vid., III classis.
Comm. S. Martinæ Virg. et Mart.

MENSE FEBRUARIO

11 Comm. S. Severini Abbatis.
13 S. Gilberti Ep. et Conf., III classis.

MENSE APRILI

26 Comm. S. Autarii Conf.
29 Comm. S. Roberti Abbatis.

MENSE MAIO

30 S. Ioannæ de Arc Virg., Patronæ secundariæ Galliæ, II classis.
Comm. S. Felicis I Papæ et Mart.

MENSE IUNIO

30 Comm. S. Theobaldi Conf.

MENSE IULIO

7 Comm. S. Adalbergæ Virg.

MENSE AUGUSTO

15 IN ASSUMPTIONE B. MARIÆ VIRG. Patronæ principalis Galliæ, I classis.
24 Comm. S. Audoeni Ep. et Conf.
30 S. Fiacrii Conf., III classis.
Comm. S. Rosæ Limanæ Virg. ac Ss. Felicis et Adaucti Mm.

31 Ss. Agili et Philiberti Abbatum, III classis.
Comm. S. Raymundi Nonnati Conf.

MENSE SEPTEMBRI

2 Bb. Martyrum Ecclesiæ Meldensis, III classis.
Comm. S. Stephani Regis, Conf.
22 Ss. Sanctini, Antonini et aliorum Pontificum Ecclesiæ Meldensis, III cl.
Comm. S. Thomæ de Villanova Ep. et Conf., et Ss. Mauritii et Sociorum Mm.

MENSE OCTOBRI

3 S. Teresiæ a Iesu Infante Virg., Patronæ secundariæ Galliæ, II classis.
Comm. S. Patusii Conf.
10 Ss. Theodlechildis et Aguilbertæ Virg., III classis.
Comm. S. Francisci Borgiæ Conf.
21 S. Celiniæ Virg., III classis.
Comm. S. Hilarionis Abb., et Ss. Ursulæ et Sociarum Vv. et Mm.
29 S. Faronis Ep. et Conf., III classis.

MENSE NOVEMBRI

3 S. Maturini Conf., III classis.
5 Ss. Bertillæ et Elisabeth Rosæ Virg., III classis.
6 In ecclesiis consecratis ubi dies consecrationis non est nota: IN DEDICATIONE ECCLESIÆ PROPRIÆ, I classis.
16 Comm. S. Edmundi Ep. et Conf.
21 Comm. S. Columbani Abbatis.

MENSE DECEMBRI

9 S. Faræ Virg., III classis.
26 S. STEPHANI PROTOMART., Titularis ecclesiæ cathedralis et Patroni principalis Diœcesis, I classis.

MELDEN

Præsens Calendarium redactum iuxta rubricarum codicem per *Motu proprio* Ioannis Papæ XXIII « Rubricarum instructum » approbatum, Sacra Rituum Congregatio, vigore facultatum sibi specialiter a Sanctissimo Domino Nostro Paulo Papa VI tributarum, revisione rite peracta, recognovit ac probavit, illudque in Diœcesi Meldensi adhiberi concessit: servatis de cetero rubricis, præsertim quoad Dedicationis et Tituli ecclesiarum nec non Patronorum cuiusque loci. Quod vero spectat ad Sanctos, vel Beatos, qui neque in Romano Martyrologio descripti sunt, neque publico cultu a Sancta Sede certe decreto vel ab eadem confirmato potiuntur, viget Decretum Sacræ Congregationis diei 28 aprilis 1914, iuxta quod Eos, si in locis particularibus ex immemorabili consuetudine publico ac religioso cultu honorentur, in Calendario servare liceat, signo aliquo seu asterisco notatos; qua ex inscriptione eorum cultus neque approbatus neque ipsi æquipollenter beati habeantur. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 3 octobris 1964

Arcadius M. Card. Larraona S.R.C. Præf.

L. ✠ S. ✠ Henricus Dante, Archiep. Carpasien.
S.R.C. a Secretis.

OFFICIA PROPRIA
INSIGNIS ECCLESIÆ MELDENSIS

FESTA IANUARII

Die 2 ianuarii

Ss. Aspasii et Leonii

Confessorum

Commemoratio

Ad Laudes

Ant. Beáti servi illi, * quos, cum vénerit Dóminus, invénerit vigilántes.

℣. Iusti confitebúntur nómini tuo, Dómine. ℟. Et habitábunt recti cum vultu tuo.

Oratio

Deus, qui sacrum ministérium fidéliter exsequéntes, in gáudium Dómini sui tríbuis benígnus intráre: da nobis intercessióne beatórum Aspásii et Leónii, ut in módico fidéles, mercédem magnam, quæ ipse es, cónsequi mereámur. Per Dóminum.

Die 3 ianuarii

S. Genovefæ

Virginis

III classis

Ad Matutinum

Invit. Regem Vírginum Dóminum, * Veníte, adorémus.

Ps. 94 *Venite.*

Hymnus

Genovéfæ præcónia
Vox una promat ómnium,
Voce redúndant lábia
Vocem præfórmet gáudium.

Virgo prudens et húmilis
Manum misit ad fórtia,
Signis et vita nóbilis,
Cooperánte grátia.

Sub sexti sæcli inítio
Vitæ sortíta términum
Revivíscit in Dómino,
Choris insérta Vírginum.

O Genovéfa, réspice
Nos pietátis óculo,
Consors lucis Angélicæ
Cælésti clara lúmine.

Regis assístens vúltui,
Nos Regi reconcília;
Da nobis Sponso pérfrui,
Sponsa, Sponsíque fília.

Virtus, honor, laus, glória
Deo Patri cum Fílio,
Sancto simul Paráclito
In sæculórum sæcula.
Amen.

Ad Nocturnum

Bened. Ad societátem.

Lectio iii

Genovéfa, Nemptodúri in Parisiénsi agro nata, iam a téneris annis magna dedit exímiæ virtútis indícia. Eam, adhuc puéllulam, sanctus Germánus, Antissiodorénsis epíscopus, Deo acceptíssimam ac vitæ sanctitáte illústrem fore prædíxit. Post áliquot annos, Genovéfa a Parisiórum epíscopo in vírginem solémni ritu consecráta est. Iugi oratióne, abstinéntia vix credíbili, effúsa in ægrótos et páuperes caritáte, patiéntia inter vária malevolórum calúmnias semper invícta, non minus quam miraculórum dono ac multitúdine evásit celebérrima. Prophético spíritu plúrima prædíxit, atque in primis Lutétiam urbem, óppidis áliis munitióribus subvérsis, ab Hunnórum rege Attila, Gállias depopulánte, nihil detriménti passúram. Quod ita evénit, ac Genovéfæ patrocínio datum est. Grassánte deínde fame et in summa annónæ caritáte, eándem urbem pauperésque innúmeros magna fruménti et panis cópia abúnde sustentávit. Dénique, post actos in Dei servitúte octogínta et ámplius annos, méritis cumuláta, migrávit ad Dóminum, die tértia ianuárii. Apud Meldénses Genoféva sæpius egit, eidémque suas prióres Vírgines debet Ecclésia Meldénsis.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes

Capit. 2 Cor. 10, 17-18

Fratres: Qui gloriátur, in Dómino gloriétur. Non enim qui seípsum comméndat, ille probátus est; sed quem Deus comméndat.

Hymnus

Chorus exsúltet spíritu,
Vox erúmpat mellíflua,
Pro Genovéfæ tránsitu
Laus recensétur ánnua.

Vox cordi se contémperet,
Afféctus vocem súperet,
Ut plene possint éxprimi
Dulces excéssus ánimi.

Supra mensúram hóminis
Laus Genovéfæ Vírginis.
Laudémus tamen Vírginem
Vitæ sequéntem órdinem.

Lux corúscans in ténebris,
Ætérni solis spéculum,
Signóque laudis célebris,
Sexum vicit et sæculum.

Immúnis omnis críminis,
Vitæ suspírans términum,
Patre vocánte lúminum
Choros illústrat Vírginum.

Virtus, honor, laus, glória
Deo Patri cum Fílio,
Sancto simul Paráclito,
In sæculórum sæcula.
Amen.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Bened. ant. Erat timens Deum, * fáciens eleemósynas multas plebi, et déprecans Deum semper.

Oratio

Effúnde super nos, Dómine, spíritum agnitiónis et dilectiónis tuæ, quo ancíllam tuam Genovéfam implevísti: ut sédula eius imitatióne tibi sincére obsequéntes; fide et ópere placeámus. Per Dóminum.

Ad Vesperas

Capit. 2 Cor. 10, 17-18

Fratres: Qui gloriátur, in Dómino gloriétur. Non enim qui seípsum comméndat, ille probátus est; sed quem Deus comméndat.

Hymnus

Genovéfæ præcónia
Vox una promat ómnium,
Voce redúndant lábia
Vocem præfórmet gáudium.

Virgo prudens et húmilis
Manum misit ad fórtia,
Signis et vita nóbilis,
Cooperánte grátia.

Sub sexti sæcli inítio
Vitæ sortíta términum
Revivíscit in Dómino,
Choris insérta Vírginum.

O Genovéfa, réspice
Nos pietátis óculo,
Consors lucis Angélicæ
Cælésti clara lúmine.

Regis assístens vúltui,
Nos Deo reconcília;
Da nobis Sponso pérfrui,
Sponsa, Sponsíque fília.

Virtus, honor, laus, glória
Deo Patri cum Fílio,
Sancto simul Paráclito
In sæculórum sæcula.
Amen.

℣. Diffúsa est grátia.

Ad Magnif. ant. Felíci cursu * longa vitæ spátia

eménsa est, peregrína mundo, venerábilis pópulo, devóta Christo, allelúia.

Oratio

Effúnde super nos, Dómine, spíritum agnitiónis et dilectiónis tuæ, quo ancíllam tuam Genovéfam implevísti: ut sédula eius imitatióne tibi sincére obsequéntes; fide et ópere placeámus. Per Dóminum.

Die 16 ianuarii

S. Fursæi

Abbatis

Commemoratio

Ad Laudes

Ant. Euge, serve bone et fidélis, * quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

Deus, qui relinquéntibus ómnia, céntuplum in hoc sæculo et in futúro vitam ætérnam promisísti: da nobis, intercedénte beáto Fursæo Abbáte, ut a carnálibus desidériis semper abstineámus, et plenam abstinéntiæ nostræ mercédem a te recípere mereámur. Qui vivis.

Die 30 ianuarii

S. Bathildis

Reginæ, Viduæ

III classis

Ad Matutinum

Bened. Ad societátem.

Lectio iii

Bathíldis, in Anglia, Saxónum génere orta, primum a prædónibus véndita, póstmodum ad Clodovæi secúndi coniúgium insperáto pertráhitur. Mórtuo Clodovæo, trium filiórum tutélam gessit, regnúmque ac palátium sapientíssime moderáta est. Simoníacas ordinatiónes abolévit; effécit ut reguláris disciplína in plúribus monastériis aut servarétur, aut restituerétur. Ob munificéntiam bene mérita est de cœnóbiis Eboriacénsi et Iotrénsi, monasteriúmque Calæ ad Mátronam ædificávit aut restítuit, in quo, relícta Clotário regni administratióne, ipsa súscepit religiónis hábitum sub obediéntia Bertíllæ abbatíssæ, ibíque cessit e vita anno círciter sex-

centésimo octogésimo, tértio caléndas februárii.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Bened. ant. Date ei * de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera eius.

Oratio

Deus, qui sanctam Bathíldem a servitúte ad sólium ineffábili providéntia extulísti: da nobis eius intercessióne transférri de servitúte peccáti in regnum dilectiónis Fílii tui Dómini nostri Iesu Christi. Qui tecum.

Et fit comm. S. Martinæ Virg. et Mart.:

Ant. Símile est regnum cælórum hómini negotiatóri quæránti bonas margarítas: invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

Oratio

Deus, qui inter cétera poténtiæ tuæ mirácula étiam in sexu frágili victóriam martýrii contulísti: concéde propítius; ut, qui beátæ Martínæ Vírginis et Mártyris tuæ natalícia cólimus, per eius ad te exémpla gradiámur. Per Dóminum.

Ad Vesperas

℣. Diffúsa est grátia.

Ad Magnif. ant. Manum suam * apéruit ínopi, et palmas suas exténdit ad páuperem, et panem otiósa non comédit.

FESTA FEBRUARII

Die 11 februarii

S. Severini

Abbatis

Commemoratio

Ad Laudes

Ant. Euge, serve bone et fidélis, * quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

Intercéssio nos, quæsumus, Dómine, beáti Severíni Abbátis comméndet: ut, quod nostris méritis non valémus, eius patrocínio assequámur. Per Dóminum.

Die 13 februarii

S. Gilberti

Episcopi et Confessoris

III classis

Ad Matutinum

Bened. Ad societátem.

Lectio iii

Gilbértus, nóbilis génere, apud Meldénses, seu apud Haménses in pago Veromanduénsi natus est. Studiórum causa Quintinopólim missus, ibídem póstea in canonicórum albo inscríptus est. Eius virtútis fama cum ad aures Archánradi, Meldénsis Epíscopi, pervenísset, précibus vix obtinére pótuit isdem Archánradus ut suæ diœcésis Gilbértus archidiaconátum suscíperet. Mórtuo autem Archánrado, ómnium votis Gilbértus epíscopus eléctus est. Canónicis peténtibus assignávit terras et réditus unde víverent, authénticis lítteris quæ a sancto Leóne Papa nono póstea confirmátæ sunt. Sýnodo Calénsi intérfuit anno millésimo octávo. Paucis post annis óbiit ídibus februárii, episcopátus sui, ut fertur, anno vigésimo.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes

℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas.

℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

Oratio

Da nobis, quæsumus, omnípotens Deus, Pastóris nostri Gilbérti digne solémnia celebráre; et sicut illum quibus præerat, verbo et exémplo prodésse voluísti, ita ipsíus apud te semper intercessiónis suffrágia sentiámus. Per Dóminum.

Ad Vesperas

℣. Iustum dedúxit.

Ad Magnif. ant. Amávit eum Dóminus, * et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, et ad portas paradísi coronávit eum.

FESTA APRILIS

Die 26 aprilis

S. Autarii

Confessoris

Commemoratio

Ad Laudes

Ant. Euge, serve bone et fidélis, * quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in

gáudium Dómini tui, allelúia.

℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas, allelúia. ℟. Et osténdit illi regnum Dei, allelúia.

Oratio

Deus, qui nos beáti Autárii Confessóris tui ánnua solemnitáte lætíficas; concéde propítius; ut cuius natalícia cólimus, étiam actiónes imitémur. Per Dóminum.

Die 29 aprilis

S. Roberti

Abbatis

Commemoratio

Ad Laudes

Ant. Euge, serve bone et fidélis, * quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui, allelúia.

℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas, allelúia. ℟. Et osténdit illi regnum Dei, allelúia.

Oratio

Intercéssio nos, quæsumus, Dómine, beáti Robérti Abbátis comménde: ut, quod nostris méritis non valémus, eius patrocínio assequámur. Per Dóminum.

FESTA MAII

Die 30 maii

S. Ioannæ de Arc

Virginis

Patronæ secundariæ

Galliæ

II classis

Omnia ut in Supplemento Pro Gallia approbato die 29 maii 1962.

FESTA IUNII

Die 30 iunii

S. Theobaldi

Confessoris

Commemoratio

Ad Laudes

Ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

Deus, qui beátum sacerdótem Theobáldum, Confessórem tuum, terréna quæque solitáriæ et pœniténti vitæ postpónere, tibíque soli adhærére docuísti: concéde propítius; ut, eius intercessióne et exémplo, a mundi consórtio segregáti, dignos pœniténtiæ fructus faciámus. Per Dóminum.

FESTA IULII

Die 7 iulii

S. Adalbergæ

Virginis

Commemoratio

Ad Laudes

Ant. Símile est regnum cælórum hómini negotiatóri quæránti bonas margarítas: invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Oratio

Exáudi nos, Deus, salutáris noster: ut, sicut de beátæ Adalbérgæ Vírginis tuæ festivitáte gaudémus; ita piæ devotiónis erudiámur afféctu. Per Dóminum.

FESTA AUGUSTI

Die 15 augusti

In Assumptione B. Mariæ Virginis

Patronæ Principalis Galliæ

I classis

Omnia ut in Breviario romano hac die.

Die 24 augusti

S. Audoeni

Episcopi et Confessoris

Commemoratio

Ad Laudes

Ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

Da, quæsumus, omnípotens Deus: ut beáti Audoéni Confessóris tui atque Pontíficis veneránda solémnitas, et devotiónem nobis áugeat et salútem. Per Dóminum.

Die 30 augusti

S. Fiacrii

Confessoris

III classis

Ad Matutinum

Invit. Regem Confessórum Dóminum, * Veníte, adorémus.

Ps. 94 *Venite.*

Hymnus

Fecúnda Sanctórum parens,
Quam sorte felix Scótia!
Magnum sinu decus suo
Innáscitur Fiácrius.

Non ille, quanquam nóbili
Regum creátus sánguine,
Fastus honórum, non opes
Mundi cadúcas ámbiit.

Ætérna corde sed pio
Cæli requírens prémia,
Sese, suos, et pátriam,
Christum secútus, déserit.

Meldas venit; lubens Faro
Asíla præbet súpplici:
Quam tantus hospes récreat,
Beáta plaudat Brígia.

Sed quæ domus, quæ régia
Fefrum recóndet éxsulem?
Hæc nempe, quæ virum decet,
Cui Christus unus ómnia.

Remóta vallis, et procul
Densis latens sub vépribus,
Mens unde vocem púrior
Dei loquéntis háuriat.

Illic solútus ómnibus,
Totus sibi, totus Deo
Spe vivit ardens ígnea,
Et veritáte páscitur.

Sit laus Patri, laus Fílio,
Compar tibi laus, Spíritus,
Qui clausa mundo péctora
Tuis inúndas ígnibus.
Amen.

Ad Nocturnum

Bened. Ad societátem.

Lectio iii

Sermo sancti Basilíi Epíscopi

Epist. 42, al. I, cap. 5

In hac solitúdine dego, in qua Dóminus versátus est. Hic quercus Mambre: hic scala ferens ad cælum, et Angelórum castra a Iacob conspécta: hic solitúdo, in qua pópulus purificátus legem accépit, et ita demum in terram promissiónis ingréssus, Deum vidit. Hic mons Carmélus, in quo Elías cómmorans plácuit Deo: hic campus, in quem cum Esdras secessísset, omnes libros inspirátos, Deo iubénte, eructávit. Hic solitúdo, in qua beátus Ioánnes locústas edens, homínibus pæniténtiam prædicávit. Hic mons Olivárum, in quem cum Christus ascendísset orávit, oráre nos docens. Hic Christus solitúdinis amátor. Hic angústa et arcta via quæ ducit ad vitam. Hæc ítaque ultro suscépi, ut cónsequar quæ Christi martýribus et ómnibus áliis Sanctis promíssa sunt.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes

Capit. Eccli. 31, 8-9

Beátus vir, qui invéntus
est sine mácula, et qui
post aurum non ábiit, nec
sperávit in pecúnia et
thesáuris. Quis est hic,
et laudábimus eum? fecit
enim mirabília in vita sua.

Hymnus

Nunc, Fefre, cessávit
labor,
Cessávit et fletus; novas
Adíre sedes en licet,
Partóque iam cælo frui.

Terréna non tibi patrum
Coróna præcínxit caput;
Throno Dei sed ássides
Te vestit et Dei iubar.

Hinc ímperas; claudo gra-
dus,
Cæco dies, muto sua
Vox rédditur; cum fé-
bribus
Cedunt malígni spíritus.

Heu! mille nos libídinum
Morbi premunt nocéntius;
Ægris, priúsquam córpori
Opem precáre méntibus.

Sit laus Patri, laus Fílio,
Compar tibi laus, Spí-
ritus,
Qui clausa mundo péctora
Tuis inúndas ígnibus.
Amen.

℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas.
℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

Oratio

Abscónde nos, Deus, in
abscóndito faciéi tuæ,
ut beáti Fiácrii Confessóris tui exémplo, mirabília de lege tua nocte diéque meditántes, delíciis pérfrui mereámur ætérnis. Per Dóminum.

Et fit commemoratio S. Rosæ Limanæ Virginis:

Ant. Símile est * regnum cælórum hómini negotiatóri quæránti bonas margarítas: invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Oratio

Bonórum ómnium largítor, omnípotens Deus, qui beátam Rosam, cæléstis grátiæ rore prævéntam, virginitátis et patiéntiæ decóre Indis floréscere voluísti: da nobis fámulis tuis; ut in odórem suavitátis eius curréntes, Christi bonus odor éffici mereámur: (Qui tecum vivit.)

Deinde commemoratio Ss. Felicis et Adaucti Martyrum:

Ant. Vestri capílli cápitis omnes numeráti sunt: nolíte timére; multis passéribus melióres estis vos.

℣. Exsultábunt Sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Oratio

Maiestátem tuam, Dómine, súpplices exorámus: ut, sicut nos iúgiter Sanctórum tuórum commemoratióne lætíficas; ita semper supplicatióne defréndas. Per Dóminum.

Ad Vesperas

Capitulum Beátus vir, ut supra 18.

Hymnus

Fecúnda Sanctórum parens
Quam sorte felix Scótia!
Magnum sinu decus suo
Innáscitur Fiácrius.

Non ille, quanquam nóbili
Regum creátus sánguine,
Fastus honórum, non opes
Mundi cadúcas ámbiit.

Ætérna corde sed pio
Cæli requírens prǽmia,
Sese, suos, et pátriam,
Christum secútus, déserit.

Meldas venit; lubens Faro
Asíla præbet súpplici:
Quam tantus hospes récreat,
Beáta plaudat Brígia.

Sed quæ domus, quæ régia
Fefrum recóndet éxsulem?
Hæc nempe, quæ virum decet,
Cui Christus unus ómnia.

Remóta vallis, et procul
Densis latens sub vépribus,
Mens unde vocem púrior
Dei loquéntis háuriat.

Illic solútus ómnibus,
Totus sibi, totus Deo
Spe vivit ardens ígnea
Et veritáte páscitur.

Sit laus Patri, laus Fílio,
Compar tibi laus, Spíritus,
Qui clausa mundo péctora
Tuis inúndas ígnibus.
Amen.

℣. Iustum dedúxit.

Ad Magnif. ant. Hic vir despíciens mundum * et terréna, triúmphans, divítias cælo cóndidit ore, manu.

Die 31 augusti

Ss. Agili et Filiberti

Abbatum

III classis

Ad Matutinum

Invit. Regem Confessórum Dóminum, * Veníte, adorémus.

Ps. 94 *Venite, exsultémus.*

Hymnus

Inclítos Christi fámulos canámus,
Quos, fide claros nitidísque gestis,
Hac die tellus, sociáta cælo,
Láudibus ornat.

Quippe qui mites, húmiles, pudíci,
Nésciam culpæ coluére vitam,
Donec e terris ánimus volávit
Liber ad astra.

Inde iam gaudent míseris adésse,
Fléntium tergunt lácrimas, medéntur
Méntium plagis, vitiáta reddunt
Membra salúti.

Nostra laus ergo résonet benígnis
Usque patrónis, referátque grates;
Qui pia pergant ope nos iuváre
Rebus in arctis.

Sit salus illi, decus atque virtus,
Qui, super cæli sólio corúscans,
Tótius mundi sériem gubérnat
Trinus et unus.
Amen.

Ad Nocturnum

Bened. Ad societátem.

Lectio iii

Agilus, e Luxoviénsi monastério, Resbacénsi, a sancto Audoéno ædificáto, abbas designátus est in Sýnodo Clippiacénsi, favéntibus sanctis Epíscopis Faróne et Elígio cum eódem Audoéno. Obiit, ut fertur, propémodum septuagenárius, et sepúltus est intra septa monastérii sui. Filibértus autem, Agili discípulus, suo magístro succéssit et abbas Resbacénsis factus est. Relícto vero Résbaco, post várias peregrinatiónes ad huius tempóris celebérrima monastéria, Gemeticénse monastérium ædificávit etália quátuor cœnóbia. In Heriénsi monastério quod fundáverat e vita sanctíssime migrávit anno sexcentésimo octogésimo quarto.
Te Deum laudámus.

Ad Laudes

Capit. Eccli. 2, 7-8

Metuéntes Dóminum, sustinéte misericórdiam eius: et non deflectátis ab illo, ne cadátis. Qui timétis Dóminum, crédite illi: et non evacuábitur merces vestra.

Hymnus

Beáta cæli gáudia,
Confessiónis prǽmium,
Christi o fidéles asséclæ,
Iam possidétis áffatim.

Laudes benígnis áuribus
Audíte, quas effúndimus
Nos éxsules de pátria,
Vobis sacráto cántico.

Amóre Christi pérciti
Crucem tulístis ásperam,
Obediéntes, ímpigri
Et caritáte férvidi.

Sprevístis artes dæmonum,
Sævúmque avérni príncipem:
Christum faténdo móribus,
Migrástis inter sídera.

Iam nunc potíti glória
Adéste votis ómnium,
Ardénter exoptántium
Exémpla vestra prósequi.

Ut, Christe, Rex piíssime,
Horum precátu, nóxia
Nobis remíttas crímina,
Clamámus ore súpplici.

Sit laus, honor, sit glória
Deo Patri cum Fílio,
Sancto simul Paráclito
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Iusti confitebúntur nómini tuo, Dómine.
℟. Et habitábunt recti cum vultu tuo.

Ad Bened. ant. Beáti servi illi, * quos, cum vénerit Dóminus, invénerit vigilántes.

Oratio

Deus, qui beátos Agilum et Filibértum in via perfectiónis Evangélicæ incédere et álios dedúcere fecísti: eorúndem, quæsumus, méritis et intercessióne, gressus nostros dírige secúndum elóquium tuum; ut viam mandatórum tuórum dilatáto corde currámus. Per Dóminum.

Et fit commemoratio S. Raymundi Nonnati Confessoris:

Ant. Euge, serve bone et fidélis, * quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas.
℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

Deus, qui in liberándis fidélibus tuis ab impiórum captivitáte beátum Raymúndum Confessórem tuum mirábilem effecísti: eius nobis intercessióne concéde; ut a peccatórum vínculis absolúti, quæ tibi sunt plácita, líberis méntibus exsequámur. Per Dóminum.

Ad Tertiam

Capit. Eccli. 2, 7-8

Metuéntes Dóminum, sustinéte misericórdiam eius: et non deflectátis ab illo, ne cadátis. Qui timétis Dóminum, crédite illi: et non evacuábitur merces vestra.

℟. br. Firmaméntum est Dóminus * Timéntibus eum. Firmaméntum. ℣. Et testaméntum ipsíus ut manifestétur illis. * Timéntibus eum. Glória Patri. Firmaméntum.

℣. Oculi Dómini super metuéntes eum. ℟. Et in eis, qui sperant super misericórdia eius.

Oratio

Deus, qui beátos Agilum et Filibértum in via perfectiónis Evangélicæ incédere et álios dedúcere fecísti: eorúndem, quæsumus, méritis et intercessióne, gressus nostros dírige secúndum elóquium tuum; ut viam mandatórum tuórum dilatáto corde currámus. Per Dóminum.

Ad Sextam

Capit. Eccli. 2, 9-10

Qui timétis Dóminum, speráte in illum: et in oblectatiónem véniet vobis misericórdia. Qui timétis Dóminum, dilígite illum: et illuminabúntur corda vestra.

℟. br. Oculi Dómini * Super metuéntes eum. Oculi Dómini. ℣. Et in eis, qui sperant super misericórdia eius. * Super metuéntes eum. Glória Patri. Oculi Dómini.

℣. Accédite ad eum, et illuminámini. ℟. Et fácies vestræ non confundéntur.

Ad Nonam

Capit. Eccli. 2, 11

Respícite, fílii, natiónes hóminum: et scitóte quia nullus sperávit in Dómino, et confúsus est.

℟. br. Accédite ad eum, * Et illuminámini. Accédite. ℣. Et fácies vestræ non confundéntur. * Et illuminámini. Glória Patri. Accédite.

℣. Iusti confitebúntur nómini tuo, Dómine. ℟. Et habitábunt recti cum vultu tuo.

Ad Vesperas

Capit. Eccli. 2, 7-8

Metuéntes Dóminum, sustinéte misericórdiam eius: et non deflectátis ab illo, ne cadátis. Qui timétis Dóminum, crédite illi: et non evacuábitur merces vestra.

Hymnus

Inclitos Christi fámulos canámus,
Quos, fide claros nitidísque gestis,
Hac die tellus, sociáta cælo,
Láudibus ornat.

Quippe qui mites, húmiles, pudíci,
Nésciam culpæ coluére vitam,
Donec e terris ánimus volávit
Liber ad astra.

Inde iam gaudent míseris adésse,
Fléntium tergunt lácrimas, medéntur
Méntium plagis, vitiáta reddunt
Membra salúti.

Nostra laus ergo résonet benígnis
Usque patrónis, referátque grates;
Qui pia pergant ope nos iuváre
Rebus in arctis.

Sit salus illi, decus atque virtus,
Qui, super cæli sólio corúscans,
Tótius mundi sériem gubérnat
Trinus et unus.
Amen.

℣. Iusti confitebúntur nómini tuo, Dómine. ℟. Et habitábunt recti cum vultu tuo.

Ad Magnif. ant. A sæculo non audiérunt, * neque áuribus percepérunt: óculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparásti exspectántibus te.

FESTA SEPTEMBRIS

Die 2 septembris

Beatorum Martyrum Ecclesiæ Meldensis

III classis

Ad Matutinum

Bened. Ad societátem.

Lectio iii

Gállica perturbatióne Ecclésiam ódio persequénte, Parísiis, mense augústo anni millésimi septingentésimi nonagésimi secúndi, multi sacerdótes, viri religiósi et Christifidéles in quátuor cárceres coniécti sunt. Inter quos centum nonagínta unus viri, scílicet epíscopi tres, diáconi tres, cléricus unus, laíci quinque, alii autem omnes presbýteri, illústri martýrio occubuérunt. Hoc in ágmine glorióso, suos agnóvit Ecclésia Meldénsis Armándum de Foucauld, Ecclésiæ Cathedrális canónicum; Nicoláum Leclerc, dictum Fratrem Salomónem, e Frátribus a Scholis Christiánis domus Melodunénsis; Ioánnem Thomam Leroy, canónicum regulárem, párochum Firmitátis Galtérii; Cláudium Ludovícum de Savigny, párochum Compénsi; Ioánnem Cá-

rolum Caron, Congregatiónis Missiónis, párochum Collegiáni, et Geórgium Hierónymum Giroust, e diœcési oriúndum. Quos invíctos Christi Mártyres Pius Papa undécimus, anno millésimo nongentésimo vicésimo sexto, fastis Beatórum solémniter adscrípsit.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes

℣. Exsultábunt Sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Ad Bened. ant. Vestri capílli cápitis * omnes numeráti sunt: nolíte timére: multis passéribus melióres estis vos.

Oratio

Deus, qui beátum Armándum eiúsque Sócios, cathólicam fídem et iura Ecclésiæ strénue profiténtes, martýrii palma decorásti: eórum précibus concéde; ut spíritu fortitúdinis roboráti, in tuo servítio fidéles usque ad mortem inveniámur. Per Dóminum.

Et fit commemoratio S. Stephani Regis, Confessoris:

Ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

Concéde, quæsumus, Ecclésiæ tuæ, omnípotens Deus: ut beátum Stéphanum Confessórem tuum, quem regnántem in terris propagatórem hábuit, propugnatórem habére mereátur gloriósum in cælis. Per Dóminum.

Ad Vesperas

℣. Exsultábunt Sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Ad Magnif. ant. Gaudent in cælis * ánimæ Sanctórum, qui Christi vestígia sunt secúti: et quia pro eius amóre sánguinem suum fudérunt, ídeo cum Christo exúltant sine fine.

Die 22 septembris

Ss. Sanctini, Antonini et Aliorum Pontificum Ecclesiæ Meldensis

III classis

Ad Matutinum

Invit. Regem Confessórum, Dóminum, * Veníte, adorémus.

Ps. 94 *Veníte, exsultémus.*

Hymnus

Inclitos Christi fámulos canámus,
Quos, fide claros nitidísque gestis,
Hac die tellus, sociáta cælo,
Láudibus ornat.

Quippe qui mites, húmiles, pudíci,
Nésciam culpæ coluére vitam,
Donec e terris ánimus volávit
Liber ad astra.

Inde iam gaudent míseris adésse,
Fléntium tergunt lácrimas, medéntur
Méntium plagis, vitiáta reddunt
Membra salúti.

Nostra laus ergo résonet benígnis
Usque patrónis, referátque grates;
Qui pia pergant ope nos iuváre
Rebus in arctis.

Sit salus illi, decus atque virtus,
Qui, super cæli sólio corúscans,
Tótius mundi sériem gubérnat
Trinus et unus.
Amen.

Ad Nocturnum

Bened. Ad societátem.

Lectio iii

Sanctínus, cuius relíquiæ asservabántur in Ecclésia sui nóminis iam inde antíquitus in subúrbio civitátis Meldénsis ædificáta, primus in Meldénsium Episcopórum vetustióribus catálogis inscríbitur; cui autem, iuxta eósdem catálogos, beátus Antonínus in episcopátu succéssit. Celebrátur quoque hódie memória beatórum Rigómeri, ætátis incértæ, qui in eódem ac sanctus Sanctínus subúrbio olim hábuit Ecclésiam, nunc vero viam habet; Hildevérti, sancti Farónis in episcopátu successóris, sæculo séptimo; et Ebregísili, sanctæ Aguilbértæ fratris, qui sepúltus est in crypta Iotrénsis monastérii circa inítium sæculi octávi. Qui omnes Epíscopi Meldénses iámpridem in Ecclésia sua cultu litúrgico honorántur, quorum sub invocatióne ecclésiæ vel sacélla Deo consecráta sunt.
Te Deum laudámus.

Ad Laudes

Capit. Hebr. 13, 7

Fratres: Mementóte præpositórum vestrórum, qui vobis locúti sunt verbum Dei: quorum intuéntes éxitum conversatiónis, imitámini fidem.

Hymnus

Plenis resúltet vócibus
Lætum diéi cánticum:
Ad lucis ortum, cóncinat
Chorus beátos Præsules.

En pro gregis custódia
Nullos labóres néglegunt,
Tutántur illum, sánius
Impertiéntes pábulum.

Arcent lupos, e fínibus
Procul latrónes éxigunt,
Replent oves pinguédine,
Oviíle nunquam déserunt.

Tot nunc potíti gáudiis,
O vos, sacráti Præsules,
Nobis rogáte grátiam
Apud tribúnal iúdicis.

Perpes tibi laus, glória
Sit, Christe, Rex piíssime,
Cum Patre et almo Spíritu
Regnans per omne sæculum. Amen.

℣. Sacerdótes Sion índuam salutári. ℟. Et Sancti eius exsultatióne exsultábunt.

Ad Bened. ant. Vidéte, vigiláte et oráte: * nescítis enim quando Dóminus domus véniat.

Oratio

Deus, qui beátum Sanctínum Pontíficem aliósque Meldénsis Ecclésiæ beátos Antístites verbi tui fidéles minístros pátribus nostris dedísti: concéde, quæsumus; ut eórum intercessióne, in fide stábiles et a spe Evangélii quod prædicavérunt immóbiles permaneámus. Per Dóminum.

Et fit commemoratio S. Thomæ de Villanova Ep. et Conf.:

Ant. Eleemósynas illíus * enarrábit omnis ecclésia Sanctórum.

℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

Deus, qui beátum Thomam Pontíficem insígnis in páuperes misericórdiæ virtúte decorásti: quæsumus; ut, eius intercessióne, in omnes, qui te deprecántur, divítias misericórdiæ tuæ benígnus effúndas. (Per Dóminum.)

Deinde Commem. Ss. Mauritii et Sociorum Mm.:

Ant. Vestri capílli cápitis * omnes numeráti sunt: nolíte timére: multis passéribus melióres estis vos.

℣. Exsultábunt Sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Oratio

Annue, quæsumus, omnípotens Deus: ut sanctórum Mártyrum tuórum Maurítii et Sociórum eius nos lætíficet festíva solémnitas; ut, quorum suffrágiis nítimur, eórum natalíciis gloriémur. Per Dóminum.

Ad Tertiam

Capit. Hebr. 13, 7

Fratres: Mementóte præpositórum vestrórum, qui vobis locúti sunt verbum Dei: quorum intuéntes éxitum conversatiónis, imitámini fidem.

℟. br. Exáltent Dóminum * In ecclésia plebis. Exáltent. ℣. Et in cáthedra seniórum laudent eum. * In ecclésia plebis. Glória Patri. Exáltent.

℣. Dicant nunc qui timent Dóminum. ℟. Quóniam in sæculum misericórdia eius.

Ad Sextam

Capit. Hebr. 13, 15

Per ipsum ergo Iesum offerámus hóstiam laudis semper Deo, id est fructum labiórum confiténtium nómini eius.

℟. br. Dicant nunc * Qui timent Dóminum. Dicant nunc. ℣. Quóniam in sæculum misericórdia eius. * Qui. Glória Patri. Dicant nunc.

℣. Sacerdótes tui, Dómine, induántur iustítiam. ℟. Et Sancti tui exsúltent.

Ad Nonam

Capit. Hebr. 13, 17

Obedíte præpósitis vestris, et subiacéte eis: ipsi enim pervígilant, quasi ratiónem pro animábus vestris redditúri.

℟. br. Sacerdótes tui, Dómine, * Induántur iustítiam. Sacerdótes tui. ℣. Et Sancti tui exsúltent. * Induántur iustítiam. Glória Patri. Sacerdótes tui.

℣. Sacerdótes Sion índuam salutári. ℟. Et Sancti eius exsultatióne exsultábunt.

Ad Vesperas

Capitulum Fratres: Mementóte, ut ad Tertiam.

Hymnus

Inclitos Christi fámulos canámus,
Quos, fide claros nitidísque gestis,
Hac die tellus, sociáta cælo,
Láudibus ornat.

Quippe qui mites, húmiles, pudíci,
Nésciam culpæ coluére vitam,
Donec e terris ánimus volávit
Liber ad astra.

Inde iam gaudent míseris adésse,
Fléntium tergunt lácrimas, medéntur
Méntium plagis, vitiáta reddunt
Membra salúti.

Nostra laus ergo résonet benígnis
Usque patrónis, referátque grates;
Qui pia pergant ope nos iuváre
Rebus in arctis.

Sit salus illi, decus atque virtus,
Qui, super cæli sólio corúscans,
Tótius mundi sériem gubérnat
Trinus et unus.

Amen.

℣. Sacerdótes Sion índuam salutári. ℟. Et Sancti eius exsultatióne exsultábunt.

Ad Magnif. ant. Qui docti fúerint, * fulgébunt quasi splendor firmaménti: et qui ad iustítiam erúdiunt multos, quasi stellæ in perpétuas ætérnitátes.

Oratio

Deus, qui beátum Sanctínum Pontíficem aliósque Meldénsis Ecclésiæ beátos Antístites verbi tui fidéles minístros pátribus nostris dedísti: concéde, quæsumus; ut eórum intercessióne, in fide stábiles et a spe Evangélii quod prædicavérunt immóbiles permaneámus. Per Dóminum.

FESTA OCTOBRIS

Die 3 octobris

S. Teresiæ a Iesu Infante Virginis

Patronæ secundariæ Galliæ

II classis

Omnia ut in Supplemento pro Gallia die 29 maii 1962 approbato.

Ad Laudes fit commemoratio S. Patusii Conf.:

Ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

Dómine Deus omnípotens, qui fámulum tuum Patúsium in múnere sacerdotáli fidélem invenísti, et cítius coronándo pontificális óneri dignitátis subtraxísti: exáudi nos, quæsumus, supplicántes; ut quos ad sacrum ministérium accédere iussísti, tibi digne inservíre, et una cum fidéli pópulo, ad immarcescíbilem glóriæ corónam fácias pervenire. Per Dóminum.

Die 10 octobris

Ss. Theodlecheldis et Aguilbertæ

Virginum

III classis

Officium fit de Communi Plurium Virginum tantum, ut ad calcem huius Proprii 37.

Ad Matutinum

Bened. Ad societátem.

Lectio iii

Theodlechéldis, iuxta Iotrénsium antiquíssimam traditiónem, ex ínclita orta prosápia, germánum hábuit Agilbértum, Ecclésiæ Gevissárum in Anglia, et exínde Parisiórum Antístitem. Cum venerábilis Ado, Theodlechéldis consanguíneus, ascetéria Iotri, haud procul a Mátrona, exstruxísset, et e rebus própriis amplíssime ditásset, álterum virórum, álterum puellárum, moniálibus Theodlechéldem abbatíssam præfecit. Quæ monastérium sibi créditum sapientíssime rexit, et obdormívit in Dómino post annum sexcentésimum sexagésimum. Illi succéssit beáta Aguilbérta quæ sibi, dum víveret, sanctitátis exímiæ famam comparávit, et ad Súperos evolávit tértio idus augústi.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes

℣. Vírgines laudent nomen Dómini. ℟. Quia exaltátum est nomen eius solíus.

Ad Bened. ant. Venit Sponsus: * et Vírgines, quæ parátæ erant, intravérunt cum eo ad núptias.

Oratio

Deus, qui beátas Theodlechéldem et Aguilbértam, Vírgines tuas, elígere dignátus es ut concreditárum sibi vírginum prolem custodírent: tríbue, quæsumus; ut, earúndem intercessiónibus, ab ómnibus insídiis misericórditer liberémur. Per Dóminum.

Et fit commemoratio S. Francisci Borgiæ Conf.:

Ant. Euge, serve bone et fidélis, * quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

Dómine Iesu Christe, veræ humilitátis et exémplar et præmium: quæsumus; ut, sicut beátum Francíscum in terréni honóris contémptu imitatórem tui gloriósum effecísti, ita nos eiúsdem imitatiónis et glóriæ tríbuas esse consórtes: Qui vivis.

Ad Vesperas

℣. Vírgines laudent nomen Dómini. ℟. Quia exaltátum est nomen eius solíus.

Ad Magnif. ant. Casta generátio * in perpétuum coronáta triúmphat, incoinquinatórum certáminum præmia vincens.

Oratio

Deus, qui beátas Theodlechéldem et Aguilbértam, Vírgines tuas, elígere dignátus es ut concreditárum sibi vírginum prolem custodírent: tríbue, quæsumus; ut, earúndem intercessiónibus, ab ómnibus insídiis misericórditer liberémur. Per Dóminum.

Die 21 octobris

S. Celiniæ

Virginis

III classis

Ad Matutinum

Bened. Ad societátem.

Lectio iii

Celínia, quæ et Cilínia, sub cuius nómine ecclésia iam inde antíquitus in subúrbio civitátis Meldénsis ædificáta est, forsan ad eius túmulum, e testimónio antiquíssimæ Vitæ Sanctæ Genovéfæ cognóscitur. Sic enim in hac Vita légitur: « Puélla quædam iam núbilis, et iam desponsáta, nómine Cilínia, ut cómperit grátiam Christi Genovéfæ collátam, pétiit sibi ab ipsa vestem mutári. Quod cum adoléscens, cui fúerat promíssa, audísset, prótinus, indignatióne replétus, Meldas urbem, ubi Cilínia morabátur, pervénit. Mox Genovéfa cum Cilínia, ubi advenísse adolescéntem cómperit, summa cum festinatióne ad ecclésiam confúgit. Magni miráculi res fuit, quemádmodum, eis fugiéntibus, baptistérium quod intérius erat clausum sponte se reserávit. Sic ítaque prædícta puélla ab huius mundi contagiónibus liberáta, usque ad consummatiónem in abstinéntia et castitáte perseverávit».

Te Deum laudámus.

Ad Laudes

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Bened. ant. Símile est regnum cælórum * hómini negotiatóri quæránti bonas margarítas: invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

Oratio

Dómine Iesu, ætérne sponse Vírginum, cui beáta Celínia, spreto mortáli connúbio, castíssimos amóres únice devóvit: tríbue nobis, eius ad æmulatiónem, terréna despícere, et cæléstibus tantum inservíre. Qui vivis.

Et fit commemoratio S. Hilarionis Abb.:

Ant. Euge, serve bone et fidélis, * quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

Intercéssio nos, quæsumus, Dómine, beáti Hilariónis Abbátis commén-det: ut, quod nostris méritis non valémus, eius patrocínio assequámur. (Per Dóminum.)

Deinde commem. Ss. Ursulæ et Sociarum Virginum et Martyrum:

Ant. Prudéntes Vírgines, * aptáte vestras lámpades: ecce Sponsus venit, exíte óbviam ei.

℣. Adducéntur Regi Vírgines post eam. ℟. Próximæ eius afferéntur tibi.

Oratio

Da nobis, quæsumus, Dómine, Deus noster, sanctárum Vírginum et Mártyrum tuárum Ursulæ et Sociárum eius palmas incessábili devotióne venerári: ut, quas digna mente non póssumus celebráre, humílibus saltem frequentémus obséquiis. Per Dóminum.

Ad Vesperas

℣. Diffúsa est grátia.

Ad Magnif. ant. Veni, Sponsa Christi, * áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

Die 29 octobris

S. Faronis

Episcopi et Confessoris

III classis

Ad Matutinum

Bened. Ad societátem.

Lectio iii

Faro, seu Burgundofáro, primum referendárius Dagobérti regis, Gundoáldo, Epíscopo Meldénsi, succéssit. Cum episcopátu fungéretur, monastéria in diœcési a sancto Columbáno vel ab eiúsdem discípulis fundáta floruérunt. Suam cum beáto Audoéno

cóntulit óperam ut Resbacénse monastérium ædificarétur; ipse, ut fertur, cœnóbium suburbánum cóndidit sub título Sanctæ Crucis, póstea ipsíus nómine nuncupátum. Largitátibus vicinórum Episcopórum in monastéria diœcésium suórum sociátus fuit. Teste Venerábili Beda, vívebat adhuc anno sexcentésimo duodeseptuagésimo. Paulo post e vita decéssit, quinto caléndas novémbris, cum in episcopátu sedísset annos quadragínta et ámplius, et sepúltus est in cœnóbio Sanctæ Crucis, quod exstrúxerat.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes

℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

Oratio

Omnípotens Deus, qui beátum Farónem Antístitem nostrum pópulo tuo præesse, et quibus præerat, verbo et exémplo prodésse voluísti: eódem intercedénte, pastóres Eclésiæ tuæ cum grégibus sibi commíssis dírige in viam salútis ætérnæ; ut omnes, te donánte, tibi plácita cúpiant, et tota virtúte perfíciant. Per Dóminum.

Ad Vesperas

℣. Iustum dedúxit.

Ad Magnif. ant. Amávit eum Dóminus, * et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, et ad portas paradísi coronávit eum.

FESTA NOVEMBRIS

Die 3 novembris

S. Maturini

Confessoris

III classis

Ad Matutinum

Bened. Ad societátem.

Lectio iii

Sermo sancti
Ioánnis Chrysóstomi
Oratio de S. Philogonio

Beáti Maturíni dies, cuius festivitátem celebrámus, ad ipsíus recte factórum enarratiónem linguam nostram evocávit. Síquidem hódie beátus iste ad tranquíllam omnísque perturbatiónis expértem vitam tránsiit; eóque navígium áppulit, ubi deínceps non póterit metúere naufrágium, nec ullam ánimi perturbatió-

nem aut dolórem. Et quid mirum est, si locus ille purus est ab omni moléstia ánimi, cum Paulus, homínibus adhuc in hac vita degéntibus loquens, dicat: Semper gaudéte, sine intermissióne oráte? Te Deum laudámus.

Ad Laudes

℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

Oratio

Deus, qui in Ecclésiæ tuæ decus et subsídium beátum Maturínum veréndo sacerdótii ministério decorásti: præsta, ut, per quem pópulus tuus Evangélii verbum et Domínici córporis sacraméntum suscépit, eius patrocínio dignos utriúsque fructus percípiat. Per Dóminum.

Ad Vesperas

℣. Iustum dedúxit.

Ad Magnif. ant. Hic vir, despíciens mundum * et terréna, triúmphans, divítias cælo cóndidit ore, manu.

Die 5 novembris

Ss. Bertillæ et Elisabeth Rosæ

Virginum

III classis

Officium fit de Communi Plurium Virginum tantum, ut ad calcem huius Proprii 37.

Ad Matutinum

Bened. Ad societátem.

Lectio iii

Bertílla, virgo Suessionénsis, in Iotrénsi monastério recépta, mirabíliter ibídem conversáta est et a sancta Theodlechélde alumnárum institutiónem comméndátam hábuit. Cum sancta Bathíldis Calénse monastérium ædificásset aut restituísset, eídem Bertílla præfécta est abbatíssa. Obiit nonis novémbris, anno Dómini septingentésimo quinto aut sexto. Elísabeth, quæ a Roséto Rosa cognomináta fuit, in Calénsi monastério religiónis vestem accéperat; sed eremitícæ vitæ stúdio accénsa, licentiáque tandem obténta, Melodúnum pétiit, deínde Castrum Nantónis, tandem Rosétum. Hic arctíssimam vitam degens, primum óm-

nibus ludíbrio fuit, deínde veneratióni. Ad eam plúrimæ se contulérunt vírgines, et cœnóbium condítum est, cui præfuit Elísabeth per annos círciter vigínti quátuor. In pace quiévit sub annum centésimum et trigésimum supra millésimum.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes

℣. Vírgines laudent nomen Dómini. ℟. Quia exaltátum est nomen eius solíus.

Ad Bened. ant. Venit Sponsus: * et Vírgines, quæ parátæ erant, intravérunt cum eo ad núptias.

Oratio

Tua nos, quæsumus, omnípotens Deus, protectióne custódi; et intercedéntibus pro nobis beátis Virgínibus tuis Bertílla et Elísabeth Rosa, córpora nostra castitáte, mentes nostras humilitáte et caritáte sanctífica. Per Dóminum.

Ad Vesperas

℣. Vírgines laudent.

Ad Magnif. ant. Casta generátio * in perpétuum coronáta triúmphat, incoinquinatórum certáminum prǽmia vincens.

Die 6 novembris

In ecclesiis consecratis, quando huius consecrationis dies non est certa et nota.

Dedicatio Ecclesiæ Propriæ

I classis

Quando huius consecrationis dies est certa et nota, hac ipsa die, servatis servandis, anniversarium Dedicationis faciendum est.

Officium ut in Communi Dedicationis ecclesiæ.

Die 16 novembris

S. Edmundi

Episcopi et Confessoris
Commemoratio

Ad Laudes

Ant. Euge, serve bone et fidélis, * quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

Da, quæsumus, omnípotens Deus: ut beáti Edmúndi Confessóris tui atque Pontíficis veneránda solémnitas, et devotiónem nobis áugeat, et salútem. Per Dóminum.

Die 21 novembris

S. Columbani

Abbatis

Commemoratio

Ad Laudes

Ant. Euge, serve bone et fidélis, * quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

Intercéssio nos, quæsumus, Dómine, beáti Columbáni Abbátis comméndet: ut, quod nostris méritis non valémus, eius patrocínio assequámur. Per Dóminum.

FESTA DECEMBRIS

Die 9 decembris

S. Faræ

Virginis

III classis

Ad Matutinum

Bened. Ad societátem.

Lectio iii

Fara, seu Burgondofára, sancti Farónis, ut dícitur, soror, circa annum sexcentésimum apud Meldénses nata est. Puéllulam adhuc sanctus Columbánus benedíxit ac Deo vovit. Cum vero virginitátem suam Christo dicáre studéret, incredíbiles a patre suo ærúmnas toleránit invícta, et ópera sancti Eustásii tandem líberum illi fuit cæléstibus desidériis óbsequi. A Gundoáldo, Meldénsi Epíscopo, religiónis véstibus est indúta, et in monastério quod pater illi constrúxerat in vico Eboríaco cum sodálibus sanctíssime vixit ad régulam sancti Columbáni. Tanta virtúte fuit et sapiéntia, ut ab ipsis Británniæ maióris provínciis optimátum quorúmque fíliæ ad illam convolárent, inter quas, testánte Venerábili Beda, beáta Adalbérga, Annæ regis fília. Obiit, ut créditur, circa annum sexagésimum supra secentésimum.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Bened. ant. Símile est regnum cælórum * hómini negotiatóri quæránti bonas margarítas: invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

Oratio

Dómine Iesu Christe, qui in corde beátæ Faræ Vírginis ætérnæ caritátis ignem tantum excitásti, ut terréno despécto sponso, tibi únice castíssime famularétur, ac vírginum pulchérrimam generatiónem informáret: eius méritis et intercessióne concéde; ut nos quoque te immaculátum Agnum impígre sequéntes, de suavitáte cenæ nuptiárum tuárum partícipes fíeri mereámur. Qui vivis.

Et fit commemoratio feriæ.

Ad Vesperas

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Magnif. ant. Veni, Sponsa Christi, * áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

Oratio

Dómine Iesu Christe, qui in corde beátæ Faræ Vírginis ætérnæ caritátis ignem tantum excitásti, ut terréno despécto sponso, tibi únice castíssime famularétur, ac vírginum pulchérrimam generatiónem informáret: eius méritis et intercessióne concéde; ut nos quoque te immaculátum Agnum impígre sequéntes, de suavitáte cenæ nuptiárum tuárum partícipes fíeri mereámur. Qui vivis.

Et fit commemoratio feriæ.

Die 26 decembris

S. Stephani Protomartyris

Titularis Ecclesiæ Cathedralis et Patroni principalis Diœcesis Meldensis

I classis

Omnia ut in Breviario Romano hac die. In II Vesperis Nativitatis fit commemoratio sequentis S. Stephani.

EXCERPTA E COMMUNI PLURIUM VIRGINUM

pro Officiis plurium Virginum non Martyrum huius Proprii Melden.

Ad Matutinum

Invit. Regem Vírginum Dóminum, * Veníte, adorémus.

Ps. 94 *Venite.*

Hymnus

Vox sonat Sponsi: Diutúrna cessit
Nunc hiems, tristes abiére nimbi,
Ver adest, flores rédolent: parátæ
Súrgite, Sponsæ.

Obviam Iesu properáte ovántes,
Vírgines: vestrum caput ipse cinget
Líliis: secum thálamo recéptas
Ipse beábit.

Vos enim nullus labor hoc in orbe
Térruit, Sponsi mémores amántis;
Huius et causa tolerástis ultro
Aspera quæque.

Hinc fidem Christo, semel obligátam,
Usque servástis; rutilátque vestra
Impigre lampas, nihil imbre et atris
Victa procéllis.

Terra nunc vobis patet, unde curæ
Exsulant omnes, ubi nil opácat
Límpidi cæli fáciem, peréннis
Sol ubi fulget.

Summa laus Patri, genitóque Verbo,
Et tibi, compar utriúsque virtus,
Spíritus semper, Deus unus, omni
Témporis ævo.
Amen.

Ad Laudes

Capit. I Cor. 7, 25

Fratres: De Virgínibus præcéptum Dómini non hábeo: consílium autem do, tanquam misericórdiam consecútus a Dómino, ut sim fidélis.

Hymnus

Iesu, coróna Vírginum,
Quem Mater illa cóncipit,
Quæ sola Virgo párturit,
Hæc vota clemens áccipe:

Qui pergis inter lília,
Septus choréis Vírginum,
Sponsus decórus glória
Sponsísque reddens præmia.

Quocúmque tendis, Vírgines
Sequúntur, atque láudibus

Post te canéntes, cúrsitant,
Hymnósque dulces pérsonant;

Te deprecámur súpplices,
Nostris ut addas sénsibus
Nescíre prorsus ómnia
Corruptiónis vúlnera.

Virtus, honor, laus, glória
Deo Patri cum Fílio,
Sancto simul Paráclito,
In sæculórum sécula.
Amen.

℣. Vírgines laudent nomen Dómini. ℟. Quia exaltátum est nomen eius solíus.

Ad Bened. ant. Venit Sponsus: * et Vírgines, quæ parátæ erant, intravérunt cum eo ad núptias.

Ad Tertiam

Capit. I Cor. 7, 25

Fratres: De virgínibus præcéptum Dómini non hábeo: consílium autem do, tanquam misericórdiam consecútus a Dómino, ut sim fidélis.

℟. br. Deus meus, * Impollúta via eius. Deus meus. ℣. Protéctor est ómnium sperántium in se. * Impollúta via eius. Glória Patri. Deus meus.

℣. Afferéntur Vírgines in lætítia et exsultatióne. ℟. Adducéntur in templum Regis.

Ad Sextam

Capit. I Cor. 7, 26

Exístimo ergo hoc bonum esse propter instántem necessitátem, quóniam bonum est hómini sic esse.

℟. br. Afferéntur Vírgines * In lætítia et exsultatióne. Afferéntur. ℣. Adducéntur in templum Regis. * In. Glória Patri. Afferéntur.

℣. In nómine tuo, Dómine, exsultábunt tota die. ℟. Et in iustítia tua exaltabúntur.

Ad Nonam

Capit. I Cor. 7, 34

Múlier innúpta et virgo cógitat quæ Dómini sunt, ut sit sancta córpore et spíritu.

℟. br. In nómine tuo, Dómine, * Exsultábunt tota die. In nómine tuo. ℣. Et in iustítia tua exaltabúntur. * Exsultábunt tota die. Glória Patri. In.

℣. Vírgines laudent nomen Dómini. ℟. Quia exaltátum est nomen eius solíus.

Ad Vesperas

Capit., hymnus et ℣. ut ad Laudes.

Ad Magnif. ant. Casta generátio * in perpétuum coronáta triúmphat, incoinquinatórum certáminum prǽmia vincens.

INDEX DES NOMS GÉOGRAPHIQUES
contenus dans le Propre

Antissiodorensis	d'Auxerre
Calæ, calense	Chelles
Castrum Nantonis	Château-Landon
Clippiacensis	de Clichy
Collegianum	Collégien
Compensum	Compans
Eboriacum (-censis)	Faremoutiers
Firmitas Galterii	la Ferté-Gaucher
Gemeticense	de Jumièges
Gevissæ	Dorchester (Wessex)
Hamensis	de Ham
Heriensis	de Noirmoutiers
Iotrum (-trensis)	Jouarre
Lutetia	Lutèce (Paris)
Luxoviensis	de Luxeuil
Matrona	la Marne
Meldæ (-densis)	Meaux
Melodunum (-dunensis)	Melun
Nemptodurum	Nanterre
Quintinopolis	Saint-Quentin
Resbacum (-bacensis)	Rebais
Rosetum	Rozay
Suessionensis	de Soissons
Veromanduensis	du Vermandois

Imprimé en Belgique par DESCLÉE & CIE, ÉDITEURS, S. A., Tournai — 10.784